



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 317. Quinam propriè dicantur & sint incendiarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

minium manet penes dominum. Item, si sint res, quæ statim de sui natura periissent, nisi quis ad eas recuperandas exposuisset se periculo vitæ. Mol. cit. d. 694. n. 6. & 7. Zerol. in pr. Episc. p. 2. v. naufragium. Quaranta in Summa bullar. v. bona naufragantium. fol. 1406. & seq. quos citat & sequitur Pirh. n. 42. Item sicut Pagani, Judæi, Saraceni, alique infideles non baptizati spoliantes catholicos naufragos, non incurrunt dictam excommunicationem, quia illius incapaces, ita nec fideles piratæ, qui spoliant infideles, incurrunt illam. Suar. l. c. n. 21. Pirh. b. t. num. 39. quia verisimile non est Concilium Lateranense, ex quo desumptum illud c. excommunicationi, uti & Pontificem in Bulla Cænæ ferentes hanc excommunicationem intendisse, protegere infidelium bona contra Christianorum & orthodoxæ fidei hostes, comminatione excommunicationis ferendæ, vel latæ. Bonacin. de censur. in particul. d. 1. q. 5. p. 3. Castrop. tr. 29. d. 3. p. 5. n. 8. Wiestn. h. t. n. 29. Reiffenst. n. 23. His tamen non obstante, quod Christiani spoliantes navigantes, aut naufragium passos infideles,

(intellige non tantum in mari, sed & in aliis fluviis, cum dictum Concilium loquatur indifferenter de navigio vectis, & naufragium passis, Pirh. Reiffenst. l. cit. quamvis Bullæ Cænæ etiam in specie loquatur de infestantibus mare pertinens ad diuinem Romanæ Ecclesiæ. Pirh. n. 4. Reiffenst. l. c.) malè agant, & ad restitutionem teneantur. Reiffenst. l. c. nisi bellum cum iis gerant, aut sint habitualiter hostes. Ac denique excommunicationem non incurrunt, qui subreptionem talium bonorum consilio, favore promouent, aut ratam habent, aut accipientes illa recipiunt; cum enim illorum non fiat mentio in Bulla Cænæ, aut cit. c. 3. ad illos extendenda non est hæc pœna excommunicationis; Secus est de iis, qui proximè & physicè tales surreptores illorum bonorum adjuvant & cooperantur, ablatæque recipiunt participando de iis; taliter enim consulentes & auxiliantes illorum surripientium ea bona, etsi non exprimentur, generaliter tamen & tacitè comprehenduntur. Pirh. cit. n. 41. in fine juncto. n. 42. in fine. Suar. l. c. n. 32. Wiestn. b. t. n. 30.

CAPUT II.

De Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

Quæst. 317. Quinam propriè dicantur, & sint incendiarii?

R Esp. Illi, qui datâ operâ, siue scientes & prudentes, apposito igne urbem, domum, prædium, aliudve ædificium, aliavè bona aliena, ut segetes, acervos frugum, fœni lignorum, sylvam dolo malo ex odio, vindicta vel alicujus commodi studio per se, aut per alios accendunt, quique ad hoc mandatum, auxilium vel consilium scienter præstant. Arg. Can. pessimam. 23. q. 8. L. qui ades de incend. & ruina. c. 6. de injur. Proinde tales pœnæ ordinariæ incendiariorum non subjacent, qui casu tantum vel ex imprudentia, aut negligentia, etsi cum culpa aliqua etiam lata, vel levi aut levissima incendii causa sunt. L. penult. ff. de incend. Host. in sum. b. t. n. 1. Sylv. v. incendiarius. n. 1. Pirh. b. t. n. 47. Reiffenst. n. 26. sed neque in foro conscientiarum obligationem reparationis taliter causati damni contrahunt; cum in hoc foro interno ante Judicis sententiam obligatio damni supponat culpam theologiam graviter peccaminosam, ut Sylv. v. culpa. n. 6. Mol. cit. tr. 2. d. 698. num. 6. Sic quoque idem, seu non incurtere eam obligationem, qui casu aut incuriâ causa est incendii, nullâ factâ distinctione inter forum internum & externum, asserit Wiestn. b. t. n. 32. citatis L. fortuito. L. qui ades. ff. de incend. Gall. Lib. 2. observ. 21. n. 1. Farin. pr. crim. q. 110. à n. 3. quamvis n. 33. subjungat Wiestn. in foro externo ad interesse seu reparationem damnorum teneri eum, cujus culpâ accidit.

Quæst. 318. Quâ pœnâ afficiendus incendiarius?

R Esp. Primò: Ob quæcunque culpâ, excepto tamen dolo, & datâ operâ causatum incendium, non incurritur pœna mortis, seu ordinaria incendiariorum; siquidem dolo in nullis delictis æquiparatur quod ad pœnam ulla culpa quantumcunque lata; juxta L. in Lege Cornelia. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. junctâ Gl. v. lata culpa. Clar. §.

fin. q. 84. in pr. Farin. l. c. n. 10. unde cum incendio causato sine dolo, seu sine data opera nulla certa pœna à lege statuta, arbitrio Judicis ob culpam latam vel levem statui ea potest, nimirum severa reprehensio, multa pecuniaria, vel corporis afflictio, v. g. incarcerationio, relegatio, fugigatio, aliavè similis, citra tamen mortem aut mutilationem pro locorum varietate, culpæ, incendii, & personarum qualitate. Farin. l. c. Carpz. pract. crim. q. 39. à n. 33. Wiestn. b. t. n. 34.

2. Resp. Secundò: De jure civili, qui datâ operâ incendium excitavit, pœnâ mortis afficiendus, & quidem, qui illud in civitate excitavit, obijciendus bestiis, si in humiliori existat, seu sit humilis conditionis, & si in aliquo gradu sit, puniendus capite, vel in Insulam deportandus. L. ult. de incend. ubi Gl. fin. ut igne concremetur. Pirh. b. t. n. 48. si verò in villa vel castris ædes (quo nomine veniunt omnes species ædificii. L. qui ades. ff. de incendio.) incenderit sciens & prudens, sitque humilis conditionis, igne quoque necari juberetur. Si tamen casam vel villam extra oppidum sitam combusserit, mitius punietur, uti etiam, si ædes in civitate suâ negligentia aut culpâ latâ conflagrari fecerit, damnum illatum etiam vicinis resarcire juberetur, datâ in duplum actione, & si id non possit, luendum ei in corpore. L. capitulum. §. incendiarii. ff. de pœnis. junctâ Gl. v. jactura. L. penult. ff. de incend. junctâ Gl. v. venia. Pirh. cit. n. 48. in fin. citato Welfenb. in paratit. ff. de incend. n. 6.

3. Resp. Tertiò: Jure ecclesiastico rerum profanarum incendiarii Laici, uti & præbentes iis scienter consilium, auxilium aut mandatum (præter penitentiam trium annorum, ut Reiffenst. b. t. n. 32. citans. c. 6. de injur.) sunt excommunicandi. Can. si quis. §. c. seq. 23. q. 8. & postquam denunciati non absoluntur, nisi à solo Papa. Sylv. v. incendiarius. n. 2. Pirh. num. 49. qui tamen cum Sylv. & Host. in Sum. b. t. num. 9. addit, omnes incendiarios ædificiorum non sacrorum haberi pro excommunicatis ipso jure, etsi non sint denunciati, tenentur insuper tam incendentes scienter & voluntariè